DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA*,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-sextâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXIX.

M°. JOANNE-ARMANDO ROUSSIN DE MONTABOURG, Doctore Medico Præside.

An sanitati noceat frequens expuitio?

I.

MEDICINÆ practicæ pars non infima Hygieine, cujus objectum quidquid sanitatem tueri, morbos præcavere, corpusque ad longævitatem disponere valet. Non igitur solummodo aëris, cibi & potûs, motûs & quietis, somni & vigiliæ atque animi affectuum moderatio ac regimen ad eam pertinent, verùm etiam excernendorum retentio, & retinendorum excretio ipsi veniunt præcavendæ. Scilicet inter humores diversos, qui à sanguine tanquam à fonte communi per diversa incernicula, sive glandulas veras, sive poros simplices, segregantur ac secernuntur, alii ad certos usus vel individui conservandi vel sobolis propagandæ à beneficâ naturâ destinantur & appellantur *Recrementitii*; alii verò à recrementorum elaboratione residui, assimilationem cum liquidis humanis pati indociles, tanquam inutiles imò noxii amandantur foràs, & *Excrementitii* dicuntur; alii tandem, quasi mixtæ indolis, non immediatè quidem ad actiones naturales conferunt ut recrementa, nec aliundè perpetuò inutiles & noxios sese exhibent ut excrementa, sed partibus inungendis, lubricandis & ab excrementorum acrimoniâ defendendis inserviunt, nec unquam nocent nisi fortè qualitate peccent vel copiâ. Qui quidem humores (malè à quibusdam inter recrementitios, pejùs à nonnullis inter excrementitios recensiti, meliùs fortasse *lubricantes* proprio nomine appellandi) quandoque intrà corpus retineri, quandoque à corpore eliminari possunt, imò debent salvâ œconomiâ animali. At verò non idem de recrementis & excrementis ità propriè dictis, affirmari potest. Quantùm enim horum retentio sanitati noceret, tantùm illorum excretio nimia foret insalubris. In hanc regulam non frequentiùs peccatur quàm dùm sive pravâ consuetudine, sive ignorantiâ & errore, ferè indesinenter expuitur. Tunc enim foràs ejicitur humor blandus & utilis quo non salubrior alter in toto corpore, salivâ nempè; quæ si deglutiretur & sanguini rursùs misceretur, melior fieret ac melior, quâ verò deficiente, innumera oriuntur mala.

I I.

PLURIMI hospitantur in humano corpore humores quorum ignoratur natura imò existentia ambigitur, vel quia ob tenuitatem nimiam oculos fugiunt, vel quia difficile est admodum illos in animalibus vivis ex ipso fonte sinceros hau-

* *M. SAVARY, Theseos Auctore, 1769.*

rire, & ſufficienti copiâ colligere explorandos. Anatomici qui hactenùs in detegendis corporis partibus ſolidis, multum nec ſine fructu insûdarunt, de fluidis ferè ſiluere quaſi his non æquè ac prioribus ſtaret œconomia animalis. Chemia cujus objectum eſt varias entium naturalium proprietates indagare, plurima de regno foſſili, pauciora de vegetabili, pauciſſima de animali hucuſque ſuppeditavit Adeò ut vix quidquam de humoribus tùm ſanis tùm morboſis nobis conſtet, nedùm œconomiæ animalis doctrina perfectionis culmen, ut quidam autumant, attigerit. Attamen hoc vitium in ſalivam non cadit, cujus utique ea eſt ſcaturigo, eaque copia & colligendi facilitas, ut de ipſius naturâ & uſu, tûm ex qualitatibus nativis & phœnomenis quæ abſque ignis torturâ exhibet, tùm ex analyſi chemicâ, ritè exploratis, aliquid certi ſtatuere poſſimus undè præſentis humoris illius utilitas, abſentis noxa inferatur. Secernitur quidem à ſanguine puro, arterioſo, multis variiſque glandulis qùas communi nomine *Stomaticas* Steno appellavit, (quarumquidem naturam, fabricam & ſitum docet Anatome) nimirùm parotides maxillares, ſublinguales, buccales, palatinas & tonſillas, ex quibus per plures ductus ſecretorios in oris cavum undique confluit, copioſiùs autem inter manducandum & loquendum. Quod attinet ad qualitates nativas ſalivæ, 1°. diluta & pellucida eſt, odoris & ſaporis ferè prorsùs expers. 2°. Igne non concreſcit ut de lymphâ conſtat, ſed candenti laminâ metallicâ impoſita tota evaneſcit. 3°. Conquaſſata tenaciter ſpumeſcit. 4°. Veſtium maculas abſtergit ſaponis inſtar, ulcera mundat, tumores reſolvit. 5°. Farinæ fermentationem promovet, ut patet ex more vetularum Indiæ edentularum orizam & maïs manducantium, dein ſuccum cùm ſalivâ mixtum expuentium in vaſa, ut indè fermentatione paulatim conceptâ parentur potus inebriantes hiſ ce gentibus acceptiſſimi. 6°. Tamen nimiam ſubſtantiarum animalium ad putrefactionem, vegetabilium ad aceſcentiam diſpoſitionem reprimere ac moderari videtur juxtà Clariſſimum Pringle * experimenta. 7°. Tandem dùm ore planè ſicco deficit ſaliva nullo modo ſentiuntur ſapores, licet ſapidiſſima corpora linguæ & palato applicentur; dum vitiatur, injucundè guſtum afficiunt. Si autem ſaliva diſtillationi ſecundùm artem ſubjiciatur, ſuppeditat 1°. liquores varios phlegmatico-ſalinos qui tincturæ florum malvæ viroreni communicant, & cum ſpiritibus acidis effervеſcunt. 2°. Olei empyreumatici & alkalibus ſaturati guttas aliquot. 3°. Ex maſſâ reſiduâ, calcinando & elixiviando aliquantula ſalis alkalini fixi quantitias educitur. 4°. Pauciſſima remanet terra damnata Chemicis dicta. Ex his itaque non difficili negotio concludere eſt ſalivam eſſe humorem blandum ex copioſo phelgmate, multo ſale alkalino volatili ** aqueis partibus tamen dilutiore quàm ut organa ſenſuum afficiat, aliquantulo oleo ſive ſulphure Phyſiologis dicto & pauco ſale alkalino ſimul in ſaponem coactis, tandemque terrâ pauciſſimâ compoſitum : adeòque genuinum ipſius uſum eſſe non modò vias deglutitionis lubricare, quod potiùs verum eſt de tonſillarum & uvulæ muco, ſed vehiculum præbere ſaporibus ſolvendo alimentorum ſales, ac potiſſimùm alimenta duriora & ſicciora jàm manducatione contrita penetrare, emollire, humectare, diſſolvere, primarum viarum digeſtionem inchoare, ingeſta ad aſſimilationem in naturam noſtram diſponere, atque ipſis primum quaſi animalitatis ſigillum imprimere.

* *Vid.* Mémoire 5. ſur les ſubſtances ſeptiques.

**. Sal ille volatilis ſeſe manifeſtat odore urinoſo dum linguæ applicatur ſal alkalin. fixum cujus actione reſolvitur ſaliva.

I I I.

PRINCIPEM ergò inter humores recrementitios locum tenet ſaliva, eo præſertim titulo quòd digeſtioni opituletur, ut ſatis ſuperque evincit tum illius humoris qualitas, copia, ſecretionis locus, tum fontium ex quibus manat numerus, ſitus, vicinia. Porrò humor recrementitius alimentorum coctioni inſerviens nunquam poteſt ſine noxâ rejici, imò quot & quanta ex frequenti illius exſpuitione oriri debeant incommoda veras œconomiæ animalis leges callenti pateſcit. Non enim jam per digeſtionem intelligitur ſola ex ingeſtis per tritum ſimplicem chili extractio, qualis ſecundùm artem ex mucilaginoſis ſeminibus extrahitur emulſio. Id figmenti evertit ex multiplici alimentorum adeò inter ſe diſcrepantium naturâ, unus

& idem ſemper naſcens chilus, ac requirit potiùs actionem humorum ſolventium ex ipsâ ſanguinis maſsâ per coctiones præcedentes paratorum, & aſſiduâ elaboratione ſecretorum, variorum fortaſſe in variis animalium ſpeciebus, quorum ea ſit energia ut tam diverſas ingeſtorum ſubſtantias inter ſe miſcere, & cum corpore nutriendo jam aſſimilare, earum odorem & ſaporem mutare, motum inteſtinum in iis excitare, inchoare fermentationem, putrefactionem retardare, ſalina ſolvere, oleoſa cum aquoſis miſcere, & ex iis tandem humorem blandum, uniformem, per lacteorum oſcula meabilem, cum lymphâ & ſanguine miſcibilem parare poſſint. Atqui ex anteceſſis patet ſalivam ad eos omnes effectus præſtantiſſimos ſimbolum primariò conferre tùm vi ſaponaceâ quæ ex oleo & ſale alkalino exurgit, tùm aquâ & ſpiritibus quibus etiam conſtat, tùm denique perfectâ ipſius coctione & cruda aſſimilandi virtute ſingulari quam reſorptione in ſanguinem & iteratis circulationibus acquirit. Deficiente verò ſalivâ, non ſolùm pauciori quantitate ex ingeſtis educitur chylus, ſed etiam paratur deterior; ſi quidem obſervatum eſt * panem nigrum ſi ſubitò abſque manducatione devoretur, & ſine ſalivæ admiſtione, poſt aliquot horas nihil mutatum revomi, eumdem verò, ſi dentibus probè ſubigatur, & cum ſalivâ intimè miſceatur, in album liquorem abire chylo ſimillimum. Undè tritum illud animam ſuam odiſſe qui oderit maſticationem. Chylus autem deterioris notæ difficulter admodum in ſanguinem mutabitur, ſed per urinæ vias maximam partem eluetur & amandabitur foràs, adeòque etiam vel nihil vel parùm lymphæ nutritiæ ſuppeditabit, necnon aliorum pariter quorumlibet recrementorum, præſertim ſalivæ ipſiusmet, ſecretio perturbabitur, undè rursùs eadem imò pejora redibunt incommoda. Quamvis enim iiſdem quibus nutrimur conſtemus, debet tamen præparari in corpore materies nutriens, ut aſſimiletur in naturam noſtram, & reſtituere poſſit illa quæ per actionem ipſam vitæ deperduntur, ſi quidem non ingeſta quælibet ſed digeſta ſola nutriunt. Læsâ autem primâ coctione ſeu mutatione alimentorum in chylum, læduntur & aliæ, nimirum chyli in ſanguinem transformatio, & ſanguinis ipſius in lympham nutritiam toti corpori proſpicientem aliaque recrementa partibus ſingularibus utilia mutatio, quæ eſt ſanè ultimus coctionis animalis terminus & finis.

* Boerhaav. prælec. Acad. § 55.

IV.

QUOD jàm de ſalivæ uſu ac neceſſitate ratione evicimus, id quoque quotidiana comprobat experientia. Sic, dum in primiis viis aguntur tragædiæ, obſervamus eos qui frequentiùs ſpuunt appetitu carere, faſtidire cibos, difficulter ac ne vix quidem concoquere, flatibus obnoxios eſſe. Cùm autem ulteriùs proceſſit mali labes, tunc temporis conſumptâ per nimiam ſalivæ excretionem liquidiori materiâ, lentiſſima fit reliqua humorum maſſa, vix permeabilia fiunt vaſa capillaria, impeditur circulatio in minimis viſcerum præſertim abdominalium vaſculis, morbus naſcitur hypochondriacus, unde meritò olim Hippocrates ſputatores melancholicos eſſe aut fieri pronuntiavit. Cujus quidem rei exempla quotidie nobis præbent ii quibus familiare eſt perpetuò maſtichen vel tabacum manducare, aut etiam tabaci fumum ex fiſtulâ frequenter ſugere. Hi enim, teſte experientiâ, corpus ſuum exhauriunt & in anorexiam, maciem, ſitim, tabem, melancholiam denique ſe præcipitant. Olim more fuit receptum inter aulicos Galliæ noſtræ, ad exemplum Principis, ut paſtillos ex maſtiche aliiſque medicamentis odoratis compoſitos continenter manducarent, undè ferè omnes in teterrimam atram bilem inciderunt, ex quâ non convaluere, niſi priùs cognitâ mali causâ à maſtiches manducatione deſinere juſſi. Tandem non modò chylus, non modò ſanguis, ſed etiam lympha nutritia blando ac dulci balſamo ad reſtaurandas vires adeò neceſſario per hanc deteſtabilem ſpuendi conſuetudinem orbatur, & ſenſim corpus miſere tabeſcit. Undè Boerhaavius ait ſalivam expuitione voluntariâ nimis ſecretam ἀνορεξίαν, δυσπεψίαν, ἀτροφίαν creare. Narrat Ruyſchius ** auctor graviſſimus, puellam annos duodecim natam, quæ ob ingentem plagam in inferiori labro ſtillicidium perpetuum ſalivæ perpetiebatur, corpus habuiſſe diù tenellum & admodùm exile, ſanatam verò mox increviſſe, & juſtam corporis

* Ruyſc. adv. II., n°. 5.

magnitudinem adeptam esse. Idem invisit matronam quamdam Amstelædamensem summoperè emaciatam & consumpti ferè corporis, quam deseruerant desperantes omninò de sanitate Medici. Dùm circumspiceret ad omnia sedulus Medicus ut inquireret in causas mali, vidit fortè eam omni temporis momento in vas à latere appositum salivam expuere. Vetuit illicò ne hunc benignum humorem ejiceret. Quæ rerum mutatio! brevi sanata fuit absque ope, sine necessitate alterius auxilii: nec semel id se vidisse ait, imò verè sæpè numero. Et sanè nemini inter attentos Medicos non contigit simile quid observare. *Quàm errant igitur* ut cum Rhuyschio dicam ** qui *salivam pro excremento noxio habentes, eam abjiciunt; eòque pulchriùs valere putant hominem quo frequentiùs eâ corpus exonerat, eum in finem sialagoga adhibentes & offas tenaces manducandas!*

** Ruisch. ibid.

V.

NEC suadere debent exspuitionem casus nonnulli in quibus proritatur salivæ uberior excretio, verbi gratiâ, in lue venereâ, in cachexiâ. In hâc enim non tàm vera saliva ejicitur quam aqua inutilis & redundans ad quam eliminandam commendantur masticatoria; in illâ autem id quod salivatione mercuriali effluit est liquamen putridum è sanguine liquefacto exulans à salivæ naturâ alienum. Neque etiam salivæ inutilitatem arguere debet critica per glandulas salivarias evacuatio in variolis & quibusdam aliis morbis exorta: hâc enim viâ tunc liberatur corpus noxiâ perspirationis insensibilis materiâ, quæ crustâ cutem tegente intrà sanguinis rivos repulsa est. Nec tandem cum exscreatione confundendâ perperam exspuitio. Hæc enim est puræ salivæ excretio, illa autem est viscosi muci à salivâ dissimilis ex asperâ arteriâ, Bronchiis, imò tonsillis cum quodam conatu rejectio, quæ quidem sæpiùs, præsertìm matutino tempore, utilis est ac necessaria, dùm scilicet ille mucus copiâ vel spissitudine peccans, partium lubricationi jàm ineptus, morâ duntaxat, & stagnatione excrementitius fit, & excreandus, saliva autem, quantâ libet copiâ secernatur in os, nunquam tamen excrementi nomine venit; sed naturâ per somnum monstrante viam semper deglutienda. Deglutita enim & sanguini iterùm atque iterùm mista, repetitâ quasi cohobatione optima fit, & in menstruum perfectissimum elaboratur.

Ergò sanitati nocet frequens exspuitio.

Proponebat Parisiis HONORATUS VRIGNAULD, Nannensis apud Armoricos, Doctor Medicus Monspeliensis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus.

A. R. S. H. 1789. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1789.